



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 3. Opportunæ considerationes, quæ solatio sint in amissione bonorum  
externorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)

codem ore, calamoq; Augustinus.  
*Quod pateris medicina est, non pœ-  
 na; castigatio, non damnatio.* Et  
 hæc proferri possunt causæ è multis,  
 quas in secreto habet mens supre-  
 ma, summaque ratio, apud quam  
 nihil expers rationis.

## §. 3.

*Opportuna cōsiderationes, quæ solatio  
 sint in amissione bonorū externorum.*

**E**Xterna bona, quæ ex vulgi  
 opinione, magis quàm ex ve-  
 ritate, tua esse credis, eripere tibi for-  
 tuna potest, te ipsum non potest:  
 nec insitam, si voles, à virtute con-  
 stantiam, stabit illa, & si fractus il-  
 labatur orbis, etiam impavidam  
 ferient illius ruinæ: huius rationem  
 reddidit Seneca: quia *sapienti non* E 86.  
*nocetur à paupertate, non à dolore,*  
 P 3 non

non ab aliis tempestatibus vita,  
 quia scilicet ad omnes casus aptus;  
 bonorum rector est, malorū victor;  
 quod si fortè quis imprudentior  
 eum ab his premi credat, fallitur,  
 illum premi putat malis, & tamen  
 utitur: ad virtutis, excelsique ani-  
 mi exercitationem: similis, inquit  
 Seneca, sculptori, qui è qualibet  
 materiâ simulacra fingit, ac format.

Non ex ebore tantum Phidias  
 sciebat facere simulacra, faciebat ex  
 ære; si marmor illi, si adhuc vilio-  
 rem materiam obtulisses, fecisset  
 quale ex illâ fieri optimum posset.  
 Sic sapiens: Virtutem, si licebit, in  
 diuitiis explicabit; si minus in pau-  
 pertate; si poterit in patria, si minus  
 in exilio: si poterit Imperator, si mi-  
 nus miles: si poterit integer, si minus  
 debilis: quamcumq; fortunam acce-  
 perit.

perit, aliquid ex illâ memorabile efficiet.

Quod si authore, & iudice Senecâ, id potuit isto ævo sapiens, quid nostro christianus? Si dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium, & cætera horrenda, cum ad sapientem peruenerint, mansueta sint: qualia erunt vbi ad Christi cultorem appulerint? erunt certè quàm mansuetissima, nec omnino afficient malè, nisi malum, atque insipientem: quid enim? nonne tuo calculo insipientem diceres eum, cui labor esset abire longius, atque ex hospicio in patriam emitti?

Finge tibi (liberæ enim sunt cogitationes nostræ) hospitem vnum aliquem aduenisse in diuersorium, cui amœna tecta, aulæa pretiosa, supellex argentea, tori molles in

232 DE FORTITVDINE  
plumâ, & anserè, mensæ opiparæ,  
verbo vt absoluâ, ad commodum,  
ad voluptatem, ad delicias, omnia:  
vbi his vsus fuerit vel vnâ tantum  
nocte, orto iam sole, & stratis equis  
non illubens abit, sed & volens, &  
hilaris: quia meminit hospitium  
esse, & ea bona de viâ tantum spe-  
ctat, atque ad se nihil pertinere, nisi  
forte ad vsum exigui tēporis; quod  
si quis illius diuersorij commodis,  
atque opulentiâ illectus ægrè se ab  
eo auelli pateretur; omnium iudi-  
cio & imprudens, & insanus habe-  
retur. Et is est qui plus æquo dolet  
sibi fortunæ bona eripi: non me-  
minit ille sibi hunc mundū, quan-  
tus is est, pro diuersorio esse, & il-  
lius bona, omnemq; opulentiam,  
ac maiestatem seruire hospiti vnus  
diei: qualis est vita nostra vt lon-  
gissimè

gissima sit cum æternitate composita. Non meminit, inquam, se hominem, id est hospitem esse, imo & viatorem.

Dic age, peregrinus aliquis de viâ fessus adultâ iam die, & imminente solis æstu, ut eum declinet, ac fallat: sese recipiat sub arbore pomifera, subque tecto viridi umbram captet: quamdiu credis eam frui volet? certè dum vires refecerit, dum ab alto die respirarit; sibi enim paululum, & quieti redditus, ab illâ mox surgit, & viam inquit, pergitque leuiore gressu: quod si captus amœnâ illâ frondiû viriditate, suauitate fructuum, & umbraculi commodis, ad solis occasum, primaque tenebras imminori vellet, profecto parum sui memor, & compos haberetur.

P s

Sic

Sic est omnis homo, quem vmbra vitæ nimium capit, ac delinit, quem nimis distinent pendula ex arbore poma, hoc est huius sæculi bona, quæ sibi, vtpote viatori relinquenda, nõ nouit verè tamen sunt relinquenda, vel ipsâ probante, ac volente bonorum externorum naturâ; audi de illis, vt solet, elatè dif-

Ep. 98. currentem Senecam.

*Mortale est omne mortalium bonum. Vnum est verum bonum, quod non moritur. Certum est illud, sempiternumq̄, nempe sapientia, & virtus. Hoc vnum contingit immortale mortalibus. Cæterum tam improbi sunt, tamq̄, obliti quo eant, quo eos singuli dies trudent, vt mirentur aliquid se amittere, amissuri vno die omnia. Quidquid est, cui Dominus inscriberis, apud te est; tuum*

non

nō est. Nihil firmū infirmo, nihil fragili æternū, & inuictum est. Tam necesse est perire, quàm perdere. Et hoc ipsum si intelligimus, solatiū est, equo animo perdere, quod periturum est.

Multa hic tibi sub oculos ponit Philosophus: primū mortale esse omne mortalium bonum, quid igitur quereris, si tibi quodammo- do moritur, atque occidit, quod naturâ suâ est tale, & tamen vt sit, plerumque adeo sui immemores sunt pusilli homunciones vt stupeant, querantur, gemant, cum aliquid amittunt, & non cogitant se vno die, imo & momento amissuros esse omnia. Se dominos credūt, eoq; nomine sibi illudunt improbè: & tamen ex vero, bonoq; Domini non sunt; apud se quidem habent bona, villas, possessiones amplas,

plas,



plas , aliaque fortunæ blandientis  
 dona : sed ea cōmodato possident,  
 tanquam aliena , non sua : vellent  
 illa esse firma , stabilia , æterna , &  
 non cogitant ea minus conuenire  
 infirmo , & fragili : dolent cum ea  
 perdunt , & non dolent , cū pereunt.  
 Certè si necessum est ea aliquando  
 tandem , imò forte post paucos dies  
 tibi perire , quid adeo lugendum  
 putes , si modo perdas : cum inter  
 perdere , & perire sit tantum discrimen,  
 & interuallum modici temporis ;  
 & hoc quidem constitutum ex ipsâ  
 rerum externarum naturâ , & fortunæ  
 perfidiâ , à quâ nemo est indemnis ,  
 de hac disertè Seneca libro de tranquillitate  
 animi. *Quæ sunt , inquit , diuitiæ , quas non egestas ,  
 & fames , & mendicitas à tergo sequatur ?  
 quæ dignitas , cuius non prætex.*

*prætextam, & augurale, & lora  
patritia, sordes comitentur, & ex-  
portatio, & nota, & mille macula,  
& extrema contemptio? quod re-  
gnum est, cui non parata sit ruina,  
& proculcatio, & dominus, & car-  
nifex? nec magnis ista intervallis  
diuisa, sed horæ momentum interest  
inter solium, & aliena genua.*

Hæc ubi dixit, ne verbis tantum  
addicatur fides, exempla profert,  
quæ versatilis fortuna dedit ad lu-  
ctum, & stuporem vniuersi; & ad  
ea lectorem euocat.

*Locuples es, inquit? nunquid di-  
tior Pompeio, qui cum tot flumina  
possideret in suo orientia, & in suo  
cadentia, mendicauit stillicidia.*

*Honoribus summis functus es? nū-  
quid aut tam magnis, aut tam inspe-  
ratis, aut tam vniuersis quam Se-  
janus?*

janus? & tamen quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta diuisit. In quem quidquid congeri poterat, Dij, hominesq; contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret. Rex es? ad Crœsum te mittam, qui rogum suum & ascendit iussus, & extingui vidit, factus non regno tantum, sed etiam mortis suæ superstes.

Vbi hanc fortunæ inclinationē animo subiecit, tum monet vt illam expectemus ipsi, & in tantā rerum sursum, ac deorsum variatione pro futuro habeamus quidquid fieri potest; sicque necessitati pareamus, & rerum humanarum conditioni, quam mutare non possumus. Id possumus magnum sumere animum, & viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur, &

nati-

Senec.

\*P. 107.

*naturæ consentiamus: natura autem sicut vniuersa mutationibus temperat, ita & singula.*

*Nubilo serena succedunt, turbantur maria, cum quieuerunt, flant inuicem venti, noctem dies sequitur, pars cæli consurgit, pars mergitur, contrariis rerum æternitas constat; ad hanc legem animus noster aptandus est. Hanc sequatur, huic pareat, & quæcumq; fiunt debuisse fieri putet, nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare nõ possis, & Deum quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. Et hic est magnus animus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus, ac degener, qui obluetatur, & de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult Deos, quam se.*